



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

Digres. 3. De sensuum horum comparatione, ad tex. com. 13.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

aut certe hic apud nos pura & sincera non sunt: aut si de caelesti quoque corpore accipiatur, coloris nomine lux etiam significatur.) Quomodo aspectus magnitudinem poterit à colore, commune à proprio, discernere? At dum cum altero ite sensibili proprio, ut cum calore, tangitur magnitudo; & filo quidem aspectu color percipitur, soloque tactu calor, utroque magnitudo; facile est commune dignoscere atque à proprio separare.

Proprius certior quam communio cognitione.

Nihilominus propriorum sensio exactior est & certior, quam communium: aspectus exquisitè magis ac certò cognoscit album, quam magnitudinem; si singulos spectes sensus. Etenim mouentur magis & vehementius à propriis, quam à communibus: eorūque vis & natura ad propria sentienda per se primùm coparata est. Quo fit, ut in comunibus, erremus sæpè, in propriis vix unquam. Inimò obscure ac leuiter communia à singulis percipiuntur, cum distinctè ac perfectè sentiantur propria. Certè obsecuritas hæc & imperfectio multitudinis ac diuersitate sensuū quoquo modo compenlantur, exactaq; ac certa euadit. Melior tamè adhuc est & exactior ea, quæ propriorū.

Quia dum plurium sensuum accedunt testimonia, omnia simul sumpta constant ex singulis, quæ per se obscura sunt & infirma. Quam ob causam cum diceret, si solus esset aspectus, fore ut laterent nos hæc communia sensibilia; non absolute dixit, laterent, sed magis laterent; hoc est minus cognoscerentur. Quia nunc quoque etsi pluribus percipiuntur sensibus, non tamen tam exactè, & clare, quam ea, quæ propria sunt, comprehenduntur, illorūque, comparatione quoquo modo latet. At si solo vno sensu sentiretur, multò magis laterent, vixque omnino cognosceretur.

Sensibilium communio cognitione ab ratione egreditur.

Et Simplicius quidem ratiocinatione opus esse dixit: neque negandum est, ut reliquarum omnium rerum, sic horum sensibilibus cognitione ea meliorem fieri. Satis tamen solis sensibus cognoscuntur, tum à nobis, tum à ratione carentibus animalibus. Et si ratio, quæ Simplicius mouit, quia scilicet ea esse genus diuersū à propriis solo sensu non cognoscitur; quidquam valeret, ne propria quidè à propriis ipsorum sensibus absque ratiocinatione cognoscerentur.

Cur igitur tot adhibitis quasi testibus, horum sensibilibus cognitionem in anima confirmari oportuerit, hæc fuit causa: quoniam ea per se ab vnicò sensu obscura, imperfecta, nec distincta tradebatur. Aliam habes apud Philoponū ex Platonis septimo de Rep. & Timæo, ut ipse ait, desumptam. Nam ego illam in locis non reperio. ea est propter maiorem mathematicarum disciplinarum certitudinem. Circa magnitudinem enim & figuram versatur Geometria, circa numerum Arithmetica & Musica, circa motum & quietem Astronomia. Quasi verò bestiis hæc Mathematicæ disciplinæ perdiscendæ forent. Ita non minus illæ, quam nos, communia sensibilia sensibus omnibus comprehendunt. Sed dum de sensibus & sensibilibus est sermo, ne in homine quidem ad mathematicas hæc disciplinas, quæ ab omni sensu sensibiliq; materia abstrahunt solamque magnitudinem & numerum per se consideratum & abstractum velat intellectibilem materiam contemplantur, minime confugiendum est.

Quare ut huic commentario finem imponam, duo in verbis Philosophi adnotabis. Alterum ex omnibus sensibilibus communibus antea memoratis tria hoc loco sola nominari, motum, magnitudinè, numerum: quoniam hæc præcipua sunt, ad quæ cetera reuocantur: quies ad motum, figura ad magnitu-

dinem, vnitas ad numerū. Alterum, cum de aspectu esset sermo, primùm nominari album, deinde quæ accommodatè magis colorem. Animaduertit enim Philosophus, album & magnitudinè dignoscibile atque distingui, etsi aspectu solo cognoscitur magnitudo: quia cum nigro quoque, flauo, & ceteris colorum speciebus reperiretur atque aspectu cerneretur. Eodemque argumento, quo nunc aduersus propriorum obiectorum genere distinguitur, quia cum pluribus sentitur, distinguitur quoque à coloris speciebus & partibus. Propterea autem album pro colore nominatum est, ut inquit Simplicius post animaduertio hoc, quod dixi, argueret album in colorem mutauit. Verum eodem argumento coloris voce non solus color, sed aspectus magis intelligendū est: ut verum sit, si solus esset aspectus, lateret magnitudo nec posset à calore distingui. Nam si solus intelligatur color, qui lucida quædam astra & tertium illud innotinatum genus quod dicitur in tenebris, cum magnitudine cerneretur, cognoscere utique posset & distingueret.

DIGRESSIO III.

De horum sensuum comparatione.

ERGÒ cum hic finem habeat de sensibus exterioribus disputatio, hanc ego viciniam adiectam clausulam: quinq; sanè exteriores esse sensus, non in omnibus quidè animalibus, sed in perfectioribus saltem inesse; In imperfectissimis autem quosdam sine aliis reperi: Tactum absque calore, gustatum cum solo tactu; tactum, quoniam de odoratum sine auditu, & aspectu: hoc ab illius modo separatos esse posse.

Iam eos rursum considerantes atque inter se comparantes, omnium maxime necessarium cognoscendum esse tactum, sine quo nec animal esse nec sustentari potest. Infimum tamen atque ignobilissimum propter obiecti conditione, quod primæ quatuor simplicissimæ omnium sunt & infimæ. Tum quod nullum habeat certum atque in corporis parte aliqua constitutum, ut ceteri sensus, sed incertum præque totum corpus dispersum, organum, quod maxime materialis sit sensus. Tum verò quia communissimum omnium sit, quique in omnibus vel abiectionibus animalibus esse queat atque à sensibus, ceteris, vel materia & dispositio necessaria, supponatur. Operatio autè alteratione reali perficitur qualitatibus, quæ similes sibi alias ex materia potestare educunt: modo scilicet materiali maxime & imperfecte: eorumque organum ex qualitatibus, eisdem componitur, quæ sunt obiectum: quam ob causam, ut in tex. 18. dicebam, excessum duntaxat quædam illius non totam latitudinem, sentit. Secundum locum habet gustatus, tactus quidam est, sed ab imperfectioribus, hæc inferior. Tertium odoratus his per similes. Quartum auditus paulò quidem melior & eleuatur, sed qui localem requirit motum. Optimus omnium est aspectus.

Nam & momento operatur, nec ab alteratione vel locali motu pendet, minimūque patitur ab obiectis. Et ad maximam distantiam operatur: nec circa res modò sublunares & caducas, sed circa celestia quoque corpora; quæ nullo alio comprehenduntur sensu. Obiectum habet lumen, diuissimam qualitatem ab inferioribus, omnibus corporibus, non pendente colorisq; qui inter secundas qualitates maxime prestant. Sed & plurimorum nobis cognitione adiecta, rerumque plurimarum differentias manifestat, ut in præmio metaphysicæ Philosophus loquitur.

Est enim omnium immaterialis maximè; quo & accidentia discernimus, & ea omnia, quæ nos ad cognoscendum perducunt: nempe colores, quantitates, figuram, numerum, motum, proportionem, & eiusmodi alia: dùmque vnum contrarium percipit, ab alterius ac plurium simul cognitione non impeditur. Accedit, quòd ad intellectum propius accedit, estque ad inveniendas nouas scientias aptissimus. Tum verò operando speciem quandam libertatis præ cæteris sensibus habere videtur. Oculis namque adiunctæ sunt palpebræ, quibus regatur oculus, si cernere animal nolit: & adiecti complures muscoli, quibus in quemcumq; libuerit intrueri, partem oculi adducatur. Hoc verò organum quale tandem est? quàm præclarum? quàm multis instructum tunicis, humoribusque redundans? quale figuram situmque habet in corpore? Figura quippe orbiculari est, atque in anteriori ac superiori parte collocatum. Quam ob causam hic sensus animal toti regendo quasi præest omnèsq; illius actiones dirigit. Propterea nocte præferim, & in tenebris timeamus plurimum; quòd huius optimi sensus præsidium nobis desit, quo dispiciamus omnia, vt vel singula caueamus; vel aggrediamur. Denique in præstantissimis & optimis rebus tutandis & considerandis quàm maximè sollicita solet esse natura: summamq; sensus huius dignitatem in eo demonstrat, quòd illi conseruando adiuumenta tam multa adhibuit, cilia, supercilia, palpebras, poma, nasum, quæ omni ex parte ambiunt ac tutantur oculum. Vt merito in Timæo Plato sumptuosissimum nominauerit sensum; duòsque oculos illius organa luciferos orbes insitar duarum stellarum esse scripserit.

Itaque si maximè omnium necessarius est tactus, & præstantissimus aspectus; cum vili iam contendit honestum, vt amoris nostri præcipiat palmam. Sanè amore concupiscentiæ, quæ non perfectionem atque præstantiam, sed solam vitæ necessitatem spectamus; præ cæteris amant animalia cuncta tactum & gustatum. Sunt enim ad vitam in primis necessarii, eaque spectant, quæ illam tuentur & fouent: & ideo animalibus fuerunt insiti, vt eorum conseruaretur vita. Quin hoc amore dixeris cæteros tres sensus nequaquam diligi, nisi vt illis duobus summo opere necessariis famularentur. Quoniam tamen concupiscentiæ amor imperfectus est, nequaquam colligas absolute hos duos sensus præ cæteris diligi. Quippe ab amore secundùm quid ad amorem simpliciter esset argumentatio. In bestiis fortasse, in quibus maximè concupiscentia viget, id verum sit. At homo meliore amicitia amore & propter se maximè omnium amatur aspectus: quia est ad cognoscendum aptissimus, vt ad initium metaphisicæ confirmat Philosophus. Sic enim opus aggreditur. Omnes homines natura scire desiderat. Signum autem est sensuum dilectio. Nam & absque vltro propter seipsum amantur. Præ cæteris autem, qui per oculos fit. Non enim vt agamus solum, verum etiam nil acturi ipsum videre præ omnibus aliis eligimus. Causa autem est, quòd sensuum hic vel maximè nos cognoscere quidquam facit, multaq; differentias manifestat. Est enim acutissimus & nobilissimo operatur modo, imaginationemque vehementissimè mouet. Quod quoridiana experientia testatur. Nam & facilius & crebrius de rebus hoc sensu, quàm alio quouis, perceptis cogitamus: & firmius omnino hærent res vitz, eorumq; phantasmata melius omnino formamus. Cuius rei causam reperies etiam in lib.

A de sensu & sensibili cap. 1. Multas, inquit, differentias & omnimodas aspectus annuntiat facultas; quia corpora omnia colore participant; ita vt & communia maximè per hunc sentiantur, &c.

Quòd si auditus eodem in loco ad percipiendas disciplinas aptissimus esse dicatur, passimq; disciplinae sensus appelletur: eum duobus modis intelligendum est posse spectari. Aut enim consideratur comparatione obiecti proprii, qui est sonus: quo modo abiectus latis est sensus; cum sonus perparum ad scientiam conferat, aspectusq; obiecta plurimum profint. Aut cõparatione humanæ vocis, quæ sensu illo percipitur, vt notiones formentur, quæ ad disciplinas perducunt. Ita auditus est disciplinae sensus. Sed hoc iudicauit Philosophus ex accideti esse; quatenus id, quòd auditu percipitur vocib; constat, quæ significatarum rerum notæ sunt. Aspectus autè per se ad cognoscendum deducit. Deinde auditus sanè ad disciplinas confert, quæ a docentib; aliis accipiuntur. At aspectus ad eas est potior, quæ inuentione propria comparantur. Qui sciendi modus minus quidem frequens est vtitatus; alteri tamè plurimum præstat, eòq; primi scientiarum inuentores vsi sunt. Nobis verò propterea carior aspectus est, quàm auditus, quoniam luauior est, & carior ea cognitio, quam propria inuentione assequimur, quàm ea fit, quam ab aliis edocti discimus. Aristoteles etiam cæcos propterea dixit prudentiores esse surdis. Vt enim surdi plurima possint propria inuentione cognoscere, quòd aspectus plura suppeditet: cæci tamen fuerint prudentiores, pluraq; per doctrinam cognoscerent, quòd auditum habeant disciplinae sensum, quo multò plura, citius, & minori cum labore cognoscentes prudentiores euadent. Prudentia enim experimentis multis terumq; plurimarum audicione comparatur.

Auditus vt disciplinae.

Cæcisur de prudentiores.

COMMVNIS SENSVS INVESTIGATIO. Cap. 2.

D E sentiente facultate vniuersè, deque sensibus exterioribus in specie hætenus dictum est. De interioribus iam dicendum. Arduum sanè opus ac perdifficile. Nam vt hi exteriorib; magnopere præstant; tum obiecti amplitudine atque operationis modo, cum & præsentia & absentia cognoscant: tum melioris subiecto, quippe in animalibus perfectioribus maximè vigent: tum quòd & bestiarum & hominum vitam administrant penè totam ac regant: proximèq; ad intellectum accedant, immedietèque illi famulentur. Ita obscuriorem habent magis que reconditam cognitionem: cum & obiectum, & operatio, & organum, & distinctio minus nobis conspicua sint.

Hos tamen præter exteriores in animalibus perfectionibus reperiri, testantur ea, quæ tum in nobis experimur, tum obseruamus in bestiis. Iudicamus enim de obiectis diuerforum sensuum exteriorum, colorèmq; à sono aut odore distere animaduertimus: quod iudicium nullius est exterioris sensus, cum singuli suum duntaxat obiectum agnoscant. Neque intellectus, quòd non hominis proprium, sed cum bestiis commune sit. Idem ex fomis, & huiusmodi aliis concluditur. Quis lupum vel etiam remotum sentit, solaque illius vt imitici apprehensione magnopere commouetur.

Inesse in animalibus sensuum.

Nosq; ipsi cuiuspiam rei vel absentis imaginatione mira in nobis ipsis experimur. At nec rei absentis, nec amici aut inimici, cōueniētis aut non cōueniētis, cognitio ad exteriorē vllum pertinet sensum: & sensus tamen cognitio est, quā in bestiis quoque reperitur: Præter exteriores igitur interior aliquis inest sensus sensationum harum principium. Interiorē autem dicimus, quod non exteriori ut ceteri in corporis edita ac manifesta parte, sed interiori in recondito magis minimeq; conspicuō organo suam operationem perficiant. Maxime sanē animalib; cunctis necessariam: tum ad vitę conseruationē, quę sola presentium rerum per exteriores sensus cognitione non constaret: cum opus persepē sit absentem & distantem cibum querere, atque ab aduersis & hostilibus rebus cauere. Tum verō ad actiones omnes exteriorum facultatum dirigendas intellectuque suppeditata phantasmata, sine quib; suam promere operationem nequit. In homine autem animali omnium diuinitissimo meliores omnino interiores hæ operationes existunt, quā in bestiis sint; quod & à meliori ac perfectiori principio orientur, & adiunctum habeant intellectum. Aristoteles illarum considerationem ita aggreditur.

Interior-
ves circū-
stantur.

Diapente

TEXTVS.

Ἐπι τοῦ αἰσθητοῦ ἡ δὴ ὁρᾶν ὁρᾶν καὶ ἀκούειν ἀκούειν ἢ τῆ οὐκ ἔστιν αἰσθητὸν ὄν ὁρᾶν, ἢ ἐπιθεῖν, ἀκούειν ἢ αὐτὸ αἰσθητὸν ὄν ἀκούειν, καὶ τὸ κατακλιθεὶς ἡ ἀκούειν, ἀκούειν ἢ ὁ αὐτὸ αἰσθητὸν ὄν ἀκούειν.

Tex. 136 Quoniam autem sentimus, quod videmus & audimus, necesse est, aut aspectu sentire, quod videt; aut altero. An qui idem quoque erit visiois & subiecti coloris. Quare utriusque aut duo eiusdem erunt, aut idem simpliciter.

COMMENTARIVS XIII.

DVM Philosophus disputat quonam sensu sentire nos sentiamus, an eo ipso, quo sentimus, an alio quopiam: id cum agere Philoponus credidit, vt cum ostenderit obiecta sensilia, siue propria, siue communia, cognoscenda alio sensu præter quinque opus non esse, iam disputet, num fortasse necessarius idē sit, vt sentire nos sentiamus. Sed antea de vno sensu, qui sextus esset, questionem fuisse, nunc autem omnino de quinque: An inquam decem sint sensus; quinque vt obiecta ipsa comprehendamus; ac rursum totidem, quib; priorum illorum operationes cognoscamus, aspicerēque audire, olfacere, gustare, & tangere, nos sentiamus.

Sanē qui hanc quoque disputationem ad eundem illum quinarium numerum confirmandum referat, non magno opere damnandus mihi videbitur. Is enim vtroque modo poterat confirmari: Tum ex sensilium omnium cognitione argumento ducto: tum ex illorum ipsorum quinque sensuum operationis ac sensationis comprehensione. Nullam tamen video de denario questionem esse: sed vniuersē proponi, num eodem an alio sensu sentire nos sentiamus. Deinde si abusus sit, quæri, an vnus an plures. Quod ad interiorē sensum ab exteriorib; illis diuersum & tanquam illis communem inuestigandum nimirum pertinet, postquam de exterioribus eorumque numero satis dictum est. Sic Auerroës, Albertus, S. Thomas, & alij intellexerunt, & ante illos Ale-

Axander in suo primo libro de anima. Id verō alio modo inuestigat. Altero ex singulorum illorum sensuum operationibus. Altero ex diuersorum obiectorum differentia & distinctione. Neque enim harum cognitio particularium sensuum esse potest. Ergo de operationibus ita primum rationatur. Manifestum est & in seipso experitur vnusquisque nos non solum videre colores, audire sonos, & ceteraque obiecta percipere: verum etiam harum ipsorum operationum sensum habere, visionēque nostras, auditiones, ac sensationes ceteras animadvertere. Aut igitur eas ijdem illi sensus percipiunt, qui earum obiecta comprehendunt, vt visus, qui colorem cernit, audiens, qui sonum audit, ceteræque quoque & audire, suamque visionem aut auditionem, comprehendant. Aut id ab alio sensu percipitur. Hoc verō in vtramq; partem diuisum, quoadmodum in obiectis ferē ac arduis quæsiuibus consuevit, quo veritatem facilius assequatur.

Ac primum eodem vtrumque sensu sentiri, tum sensibile obiectum, tum sensationem eius, demonstratis argumentatur. Primum obiecti sensu sentiri non potest, quin obiectum ipsum sentiantur. Cum enim videre nil aliud sit, quā sentire colorem, quo modo cognoscatur visio, nisi simul comprehendatur color? si ergo alio sensu, quā aspectu, colorem nos sentiamus aspicerē, necesse est illud ipsum, tum visionem, tum colorē visionis obiectum comprehendere. Atqui eiusdem obiecti duo esse sensus; coloris scilicet, tum aspectum, tum alterum illum, quo aspectus sensu cognoscitur, absurdum est, Philoponi quidem iudicio, quoniam sensilia omnia essent communia, nullum proprium. Verō etiam autem, tum quod eorum alter superacutus foret; tum missō magis quod sensus & functiones omnes constituuntur obiectis & distinguuntur: idē vnus obiecti non nisi vnus potest esse sensus.

Quod de eiusdem ordinis ac nature sensibus, deque obiectis eodem modo consideratis intelligas: Quoadmodum circa eundem colorem vt aspectabilem exterioris illi duo eiusdemque conditionis sensus versarentur. Alio qui interioris illi admittere, qui circa eadem exteriorum obiecta occupantur. Et præterea intellectus, qui ea ipsa intelligit. Sed hæ diuersi sunt generis atque ordinis facultates, inter se ordinatæ, vt superiores & inferiores. Nec obiecta eodem, sed alio atque alio modo considerantur. Qui ergo absurdum hoc vitare voluerit, non ab alio, sed ab illo ipso sensu, qui obiectum sentit, sensationem quoque illius affirmare debet comprehendendi.

Hoc Philoponus, Auerroës, Albertus, & S. Thomas, tanquam alterum absurdum deducunt, quod duorum alterius optio detur. Ad ostendendum autem absurdum esse, eundem sensum simpliciter esse, minimē accommodata est Auerroës illa ratio, quæ idem esset agens & patiens. Nam intellectus est simpliciter, dum in seipsum redit. Sed illa potest, quia sensus corporea organoq; alligata facultas est: & vt corpus propter adiunctā quantitatem ex parte extra partes in seipsum contrahi & conuerti non potest, ita nec corporeum quidquam. Verum cum argumentatio hæc tota probare contendat, eodem sensu tum obiectum tum sensationem sentiri: credendum potius est, posterius illud non deduci vt alterum absurdū, sed vt argumentationis inconclusionem, eodē vtrūmq; sensu sentiri. Nimirum vt absurdum illud vitetur, plures esse eiusdem obiecti sensus.

Posset autem hoc loco fortasse mirari quispiam; sensilia, quae alibi Aristoteles ἀρρηκόμενα, hoc est opposita seu obiecta appellare consuevit; aut quod relatione opponatur sensui; Aut, quod proponatur illi & ad sentiendum obiciantur, ἄρρηκόμενα nunc & subiecta dixerit. Sic enim habet (τῆς ὁμοιωτικῆς ἰσχυροῦς, visionis & subiecti coloris). Sed ea fuit causa, quod visionem tanquam formam, & colorem ut illius subiectum considerauit; cum utrumque tanquam integrum vnum obiectum aduentitio illi sensui considerandum proposuit. Nec mirum, si de nouo & peregrino sensu loquens, in eius obiecto appellando vocem mutauit.

Digressio. Non solum hominem sensationes suas sentire.

Ceterum magis illud considerandum est, quod habet Simplicius; propterea Philosophum quasi de nobis solum loquentem, non item de animalibus ceteris, & antea dixisse (& nunc sensum habemus) & (actu nobis sensiles sunt) & aliam sapientiam ad nos verba retulisse: & nunc etiam (quoniam autem sentimus, quod videmus & audimus) tum quod totus hic certus liber ad humanam animam referatur. Tum quod perfectissima sit in nobis sensitiua vita. Tum quod (quod ad presentem locum attinet) quia sentire, quod sentiamus, solius hominis proprium est. In quo propter rationalis vitae coniunctionem sensus quoque rationalis efficitur: & in se ipsum conuersus se ipsum seque sentire cognoscit. Et ideo Iamblichi quoque sententia omonymie sensus nominatur, si cum bestiarum irrationali sensu comparetur.

Enimvero siue rem ipsam examines, siue Aristotelis verba consideres; grauisissimi alioqui interpretis lapsus agnosces. Quae enim intentio libri sit, iam antea dictum est. Eripsemet Simplicius, quam nunc absolutam & solam facit, primis statim suae expositionis verbis praecipuum dixit. Deinde quae de quinario sensuum numero, deque communi sensu & phantasia, docentur; non sunt hominis propria, sed cum animalibus ceteris communia, atque ad sentientem animam vniuersae pertinent. Quae si de solo homine demonstrarentur, non de subiecto primo & vniuerso demonstrarentur: Errorque ille admittetur, qui in primo de posteriori analysi libro damnatur, cum attributum generis vniuersi non de illo, sed de vna specie aliqua ostenditur: ut habere tres angulos duobus rectis & quales, non de triangulo vniuerso, sed de isoscele aut saeleno. Perfectissimam potero in nobis esse sensitiuam vitam, verum est: & ideo fortasse ad nos superioris verba saepe conuertit, cum de sexto sensu disserteret. Quoniam si is in nobis non sit, ne in ceteris quidem minus perfectis animalibus fuerit. Nisi aut vnum de multis velut exemplum, ut saepe fit, hoc etiam loco proposuerit: in re praesertim obscura, quam in nobis ipsis planius, quam in ceteris, deprehendimus. Aut potius cum nos nominauit, non specie, sed genus, hoc est animalia cuncta perfecta sensibusque omnibus praedita significauerit.

Nequaquam enim id solius hominis proprium sed cum bestiis commune. Quod fatebitur uiuis, qui tum operationes earum com-

plures cum attentione magna & studio fieri obseruauerit; quod quidpiam se cernere aliose sensu percipere animaduertant. Tum vero eas viderit, si impeditos habent sensus, conari magnopere expedire illos & aperire oculos, arrigere aures, ad mouere nares ac dilatate, ut acutius sentiant. Et quamuis noster sensus ex coniunctione & consortio rationalis vitae melioris cuiusdam conditionis atque accidente perfectior euadat: natura tamen & essentia non mutatur. Quare synonymie cum bestiarum sensu nominatur. Quippe nil aliud sit, quam sentientis animae facultas huius vel illius obiecti sensilis perceptrix. Neque rationalis fit, nec in seipsum se se conuertit. Quia semper & vbique materialis corporeaeque animae corporea facultas est. Nullumque corpus in se ipsum posse se se conuertere, Simplicius quoque consentit: Sane praesens haec disputatio eam ob causam ab Aristotele suscepta est, ut communis is sensus ab exterioribus diuersus ostenderetur: qui tum operationes & sensiones illorum cognosceret, tum obiecta diudicaret. Quod si nos solum sentiamus nos sentire, nequaquam id conficeretur. Quia responderi posset, intellectu id animaduerti. Multoque minus, si ab eodem ipso sensu rationali factis & in se ipsum conuerso sentiri Simplicius dicat. At si ut res habet, ita Philosophi verba interpreteris; non homines modo, sed animalia quoque ratione carentia sentire se sentire; tunc demum ad communem sensum tuum progredieris. Neque sine causa non dixit (cognoscimus) sed (sentimus, quod videmus aut audimus) quae vox de sensuum duntaxat cognitione dicitur. Significare namque voluit, & nos, & animalia cetera, sensu aliquo id comprehendere; ut inde praeter particulares alium sensum colligeret. Et haec quidem aduersus Simplicij interpretationem dicta fuerunt. De re ipsa vero plura non multo post subiiciam.

Nullumque corpus in se ipsum posse se se conuertere, Simplicius quoque consentit: Sane praesens haec disputatio eam ob causam ab Aristotele suscepta est, ut communis is sensus ab exterioribus diuersus ostenderetur: qui tum operationes & sensiones illorum cognosceret, tum obiecta diudicaret. Quod si nos solum sentiamus nos sentire, nequaquam id conficeretur. Quia responderi posset, intellectu id animaduerti. Multoque minus, si ab eodem ipso sensu rationali factis & in se ipsum conuerso sentiri Simplicius dicat. At si ut res habet, ita Philosophi verba interpreteris; non homines modo, sed animalia quoque ratione carentia sentire se sentire; tunc demum ad communem sensum tuum progredieris. Neque sine causa non dixit (cognoscimus) sed (sentimus, quod videmus aut audimus) quae vox de sensuum duntaxat cognitione dicitur. Significare namque voluit, & nos, & animalia cetera, sensu aliquo id comprehendere; ut inde praeter particulares alium sensum colligeret. Et haec quidem aduersus Simplicij interpretationem dicta fuerunt. De re ipsa vero plura non multo post subiiciam.

De re ipsa vero plura non multo post subiiciam.

T E X T V S.

Ἐν δ' εἰς ἡμετέρας τῆς ὁμοιωτικῆς ἰσχυροῦς, ἢ εἰς ἀμύθητον ἴσχυρος, ἢ ἀδύνατος ἰσχύς ἐστὶν τῆς ὁμοιωτικῆς τῆς πνευματικῆς.

Præterea autem si diuersus fuerit visionis sensus; aut in infinitum ibit, aut idem aliquis erit sui ipsius. Quare in primo hoc faciendum.

C O M M E N T A R I V S X V.

Hæc altera est ratio, qua eodem sensu, tum obiectum, tum sensationem eius, comprehendit argumentatur. Et ut prior ad absurdum illud deducebat; fore, ut eiusdem obiecti plures essent sensus: ita posterior hæc absurdum alterum conueniens esse ostendit, si diuersi dicantur esse sensus: Abitionem videlicet in infinitum. Nam si sensus, quo visionem sentimus, diuersus ab eo est, quo videtur coloris propria sanè actione quapiam atque operatione visionem prioris sensus percipiet.

